



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An privilegium de non solvendis decimis extendatur etiam ad novalia,
vel non extendatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO V.

De decimis novalium.

§. I.

Ad quem pertineant decima novalium, spectato jure communi?

NOvale in ordine ad decimas, dicitur ager v. g. de novo ad cultum seu culturam redactus, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuerit. *c. Quid per novale 27. de V. S.* quæ autem terra, aut prædia semel sunt novalia, semper censentur novalia, quoad immunitatem à solvendis decimis, si privilegiatus v. g. sit aliquis, ut de novalibus suis nullas decimas solvat, uti probatur *ex c. m. de privileg.* independenter tamen à tali exemptione, novalium decimæ spectato jure communi ad eam Parochiam pertinent, intra cujus fines prædia de novo culta sunt sita, prout deciditur *in c. Quoniam 13. h. r.* cum enim decimæ novalium sint prædiales, consequenter eandem obligationem habent, quam habent alie decimæ prædiales. Quod si verò intra Diocæsin quidam novalia excolantur, non tamen intra fines certæ Parochiæ, tum decimæ eorum, ad Episcopum pertinent, qui aliter quidam Ecclesiæ applicare eas potest, vel suis usibus reservare *c. quoniam 13. h. r.*

§* * §

Compend. Piribing.

§. II.

An privilegium de non solvendis decimis extendatur etiam ad novalia, vel non extendatur?

PROBabilius est, quod privilegium absolute concessum de non solvendis decimis ex propriis prædiis, etiam extendendum sit ad novalia, post concessum privilegium excolta, uti colligitur *ex c. Ad audientiam 12. h. r. & ex c. Ex parte 10. & 27. eodem.* quia verba generaliter & indefinite loquentia secundum propriam eorum significationem, de omnibus prædialibus decimis intelliguntur, quæ nomine etiam decimæ novalium veniunt, nisi enormis læsio Ecclesiæ Parochialis, contra quam hæc à decimis solvendis immunitas conceditur, aliter intelligi talia verba velit.

§. III.

An privilegium percipiendi decimas etiam ad novalia se extendat?

PRivilegium percipiendi decimas, ex prædiis ad Ecclesiam Parochialem de jure pertinentibus, non extenditur ad decimas novalium, quæ intra fines talis Ecclesiæ post concessionem privilegii excoluntur, nisi harum etiam decimarum in concessione privilegii expressa mentio fiat, prout sumitur *ex c. 2. h. r. in 6.* cum tale privilegium velut odiosum, & præjudicans Ecclesiæ Parochiali v. g. restringendum potius videatur, quantum verborum proprietas patitur, ut non extendatur ad futura, sed præsentia tantum prædia, quæ tempore concessi privilegii decimabilia fuerunt. *Ex*

Bbb b quarta